Me refugit orbis. astra transversaque agunt
Obliqua cursus. ipse titan Cerberum
Meliore vultu vidit. o fidum caput
Theseu latebram quere longinquam abditam.
Tu quisque semper sceleris alieni arbiter
Amas nocentes. gratiam meritis refer
Vicemque nostris. redde me infernis precor
Umbris reductum. meque subiectum tuis
Restitue vinclis. ille me abscondet locus.
Sed et ille novit. Theseus. nostra te tellus manet
Illic solutam cede gradivus manum
Restituit armis. illa te alcide vocat
Facere innocentes terra que superos solet.

Pro argumento istius tragedie. Advertendum est quod Tantalus qui positus in infernum propter filium quem diis ad comedendum dedit duos filios post eius mortem dereliquit Atreum et Thiestem nomine qui Thiestes expulsus de regno suo a fratre propter adulterium quod commisit cum eius fratris uxore et continent actus ut infra patebit. In prima parte conqueritur Tantalus dicens quis eum removet ab inferno. et in secunda parte ponuntur verba megere furie cum incitantis ut ad auras superiores pergere debeat etc. et primo loquitur Tantalus

Tantalus.

Quis me furor nunc sede ab infausta abstrahit
Avido fugaces ore captantem cibos
Quis male deorum tantalo vivas domos
Ostendit iterum. peius inventum est siti
Arente in undis aliquid et peius fame
Hyante semper. Sisyphi numquid lapis
Gestandus humeris lubricus nostris venit.
Aut membra celeri referens cursu rota.
Aut pena titii semper acrescens iecur.
Visceribus atras pascit effossis aves
Et nocte reparans quicquid amisit die
Plenum recenti pabulum monstro iacet.
In quod malum transcribor. o quisquis nova
Supplicia functis durus umbrarum arbiter
Disponis adde si quid ad penas potes.

Qui specu vasto patens

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1671/0053
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG